



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis  
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et  
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

**Luca, Giovanni Battista de**

**Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. XCVII. Vrbevetana fideicommissi de Cervaria. De eadem materia  
textus in l. hæredes mei §. cum ità ff. ad Trebell super resolutione numeri  
pluralis in singularitates, & præsertim super ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

# URBEVETANA FIDEICOMMISSI DE CERVARIA.

P R O

MONALDO DE MONALDEN-  
SIBVS DE CERVARIA.

C V M

JULIO SIMONCELLO:

*Casus decisis per Cameram pro Julio.*

De eadem materia textus in *l. heredes mei §. cum ita ff. ad trebell.* super resolutione numeri pluralis in singularitates, & præsertim super limitatione ob existentiam personæ prædilectæ, quæ, vel jure transmissionis, vel jure implicitæ vocationis præferri debeat ulteriori substituto; Et de altera limitatione ob in dividuam qualitatem bonorum vel dispositionis.

## S Y M M A R I V M.

- 1 *F. Alti series.*
- 2 *Resolutio causæ.*
- 3 *De regula ut numerus pluralis resolvarur in singularitates, atq. sufficiat conditionem in persona unius verificari.*
- 4 *De limitatione ubi superest persona prædilectæ.*
- 5 *Declaratur quando dicta limitatio procedat & num. 7.*
- 6 *Persona prædilectæ succedit tanquam hæres ultimi morientis.*
- 7 *Impugnatur modificatio de qua num. 5.*
- 8 *De alia limitatione dictæ regulæ ubi dispositio est individua.*
- 9 *Castra & bona jurisdictionalia an sint dividua vel individua.*
- 10 *De implicita conditione filiorum in conditione postorum, sive de transmissione ad exclusionem substituti.*

## D I S C. XCVII.

1 Petrus Jacobus Monaldensis de Cervaria Dominicellus Urbevetanus, ac Dominus castri Trivignani, duas habens filias, Constantiam, & Dianiram, eas hæredes instituit, unam alteri substituendo in casu mortis absque filiis, Utraque verò ita decedente substituit proximiores consanguineos de familia; Cum autem obiisset primo loco Constantia, superstitit Julio filio, deindeque Dianira sine prole, scripto hærede Monaldo de

eadem familia testatoris, ac proximioris, cui dictam substitutionem convenire supponebatur, unde propterea duplex titulus in eo consolidatus fuit, unus substituti, & alter hæredis dictæ Dianiræ, Dicitur verò Julius, sequuta morte materteræ, aliquorum bonorum, præsertim dicti Castri integram possessionem de facto retinere; Hinc proinde Monaldus contra eum judicium instituit in Camera coram Acciajolo, datoque dubio, *An illi danda esset immisio*, in secunda propositione negativa prodit resolutio, cui hucusque quod sciam idem actor acquievit.

In his autem disputationibus, ego scribens pro Monaldo actore, dicebam opus non esse assumere questionem super resolutione numeri pluralis in singularitates ad materiam textus in *l. heredes mei §. cum ita ff. ad trebell.* & sic quod substitutio concepta sub conditione mortis utriusque filia sine filiis, dici debeat purificata in una tantum, quamvis in altera defecerit, quoniam sive dicta resolutio intraret, sive non, effectus erat idem (quamvis tamen ex aliquibus respectibus actori magis expediret titulus fideicommissi quam alter hæredis), intrabat enim dilemma inevitabile, Aut substitutio nis conditio erat purificata, Aut defecerat, si erat purificata, tunc intrabat titulus fideicommissi, & si defecerat, intrabat titulus hæreditatis.

Veriorem tamen dicebam primam partem, quoniam quicquid aliqui de super dubitaverint relati in *Avenionen. disc. preced.* & in *Firmana disc. seq.* magis communiter receptum est pro regula innixa claræ dispositioni dicti textus, in *l. heredes mei §. cum ita* ut numerus pluralis resolvarur in singularitates, atque substitutio effectum sortiatur in uno ex pluribus institutis, in quo casu mortis sine filiis contingat, quamvis in altero vel aliis eadem conditio defecerit, ex auctoritatibus & declarationibus deductis in dicta *Avenionen. disc. preced.* quas etiam in his disputat. onibus deducebam.

Scribentes in contrarium insistebant in limitatione huic regulæ tradi solita ex originali traditione Bartoli in eadem §. cum ita in fin. ex magis communi DD. sensu admittit in *decis. 304. n. 3. par. 1. dist. 4. vers.* quæ in Rota & Curia reputatur in materia magistralis pluries in aliis canonizata, ubi scilicet superest persona verisimiliter magis dilectæ, & de qua limitatione, cæteris plene collectis *Fusar. q. 473. n. 30. & 31. & 50. Noal. de transmiss. cap. 1. num. 120.* bene Rota *dec. 145. num. 4. par. 1. res.* ubi in specie advertitur, quod ita distinguendo seu limitando bene conciliantur *d. textus in §. cum ita* & alter textus in *l. finali Cod. de impub. & aliis substitut.* Neque dubitandum esse dicebant dictum Julium esse prædilectum, Tum quia erat descendens testatoris in concursu remoti transversalis ignoti, nullamque personalem dilectionem habentis, utpotè vocati sub generali collectivo nomine proximioris consanguinei de familia; Tum etiam quia testamenti contextus ita ad evidentiam probabat, dum filii filiarum positi fuerunt in conditione ad exclusionem substituti, quem proinde esse minus dilectum, non videtur dubitandum.

Replicabam ego, limitationem esse veram, duplici tamen circumstantia copulativè accedente; Primò scilicet, quod sit prædilectus, alter verò quod idem succedat ultimo morienti ab intestato vel ex testamento, ita ut effectus exclusionis substituti cedat ad commodum talis personæ prædilectæ, & non aliàs, ex iis, quæ relatis ac rejectis tenentibus

LUCA  
e  
mentis  
at  
VI  
9

tibus contrarium plenè deducuntur apud *Fusar. d. g. 473 eod. n. 30. & sequen. & n. 50. & sr.* Ideoque cum in dicto Julio habente qualitatem præsumptæ prædilectionis non concurreret altera qualitas successionalis ultimò morientis, dicebam limitationem non intrare, Adeoq. *Peregr. de fideicomm. art. 13. num. 38. cum sequen.* velit, quod ubi etiam utraq. qualitas concurrat, itaut substitutus excludatur, tunc persona prædilecta excludens obtineat successione magis ex titulo hereditario ultimò morientis quàm ex iudicio testatoris ac jure fideicommissi, juxta deducta *disc. seq.*

7 Reflectendo autem ad veritatem, resolutio potius placuit, Tum ex dicta limitatione, quæ traditur regulæ derivanti ex *d. s. cum ita* ad favorem personæ prædilectæ, non obstante dicta modificatione, ubi non concurrat alter titulus successorius gravati, cum illa, vel non placeat, vel intelligenda videatur eo modo de quo *infra in Firmana disc. seq.* Tum etiam quia mihi videbatur, quod ob qualitatem bonorum resultaret conjectura verisimilis voluntatis testatoris, ob quam intraret etiam altera limitatio eidem regulæ tradi solita, desumpta *8 ex cons. 231. Oldradi. & insinuata in eadem Avenionen. disc. preced.* ubi scilicet dispositio, ex qualitate bonorum in dividuorum, vel ex qualitate substitutionis, puta quia contineat primogenituram vel majoratum, aut aliquod opus ex omnibus bonis perficiendum, cum similibus, dici possit unica & individua, itaut omnes primò vocati considerentur tanquam unam & idem corpus vel genus, in cujus omnimodum defectum ulterior substitutionis gradus ordinatus fuerit.

9 Et in his terminis versari observabam, (quamvis scribentes in contrarium ad id non adverterent) quoniam iste assis pro notabili parte consistebat in dicto castro juris dictionali *Trivignani*, quod licet de stricta juris censura tanquam allodialia esset dividuum, cum in his partibus etiam castra & bona feudalia, quoties non sunt dignitatis, sint dividua, & ut dicimus juris Longobardorum, quinimo etiam illa Dignitatis sint dividua saltem in exercitio seu fructione, ut habetur in sua materia *sub tit. de feud. præsertim disc. 8. & in aliis; Nihilominus magis congruit ut ea quo magis fieri potest indivisa conserventur, ut pluries advertitur in eadem materia sub tit. de feudis præsertim disc. 38.*

10 Hinc proinde dici posse videbatur, quod dictæ unioni assisteret verisimilis voluntas testatoris, qui propterea, ne castrum tanquam res ad eò notabilis, suamque descendentiã vel familiam qualificans ad extraneas manus transfirer, voluit illud esse vel penes filios filiarum, vel penes illos de familia, ita implicite, atque cum simplicitate militari seu personæ idiote, vocando filios in conditione positos, nedum ad portionem matris sed etiam matertera, atque nedum cum vocatione activa, sed etiam passiva pro universâ descendentiã & deinde vocando proximiorẽ de familia subsidiariè post defectum genus suorum descendentiũ; Atque hunc proximiorẽ non per vulgarem, sed per fideicommissariam successivam juxta limitationem potius, quàm juxta regulam desumptam ex theoricã *Cummani*, de qua pluries supra, ita attendendo magis substantiam verisimilis voluntatis, quam verbales formalitates, admittendo in filio superstite ex coherede prædefuncto, vel transmissionem, vel vocationem in exclusionem substituti juxta latius ponderata *disc. seq.* adhuc tamen ob unicam disputationem non potuit efformari omninò maturum

judicium pro veritate cui integer locustur.

**FIRMANA**  
**FIDEICOMMISSI**  
**DE CASANOVA**  
**PRO**  
**SIMEONE BONACCURSIO**  
**CUM**  
**MARIA ALLEGREZZA**  
**CASANOVA.**

*Casus decisus per Rotam pro Maria Allegrezza.*

Ad eandem materiam text. in *libello mei s. cum ita ff. ad trebell.* super resolutione numeri pluralis in singularitates, & de illius limitationibus. Præsertim de illa quando super persona prædilecta, & an hæc condatur jure propriæ vocationis, & transmissionis, vel potius jure successionalis ultimò morientis, & an hæc transmissario censeatur repetenda dem conditio idemque omnis

**S U M M A R I U M.**

- 1 **F**acti series.
- 2 **R**esolutiones causa.
- 3 **D**e regula ut numerus pluralis resoluatur in singularitates.
- 4 **E**tiam si dicatur siambo, vel si omnes.
- 5 **F**alut si concurrant verba taxativa quædam.
- 6 **D**e altera limitatione ex verbo universales.
- 7 **D**e altera, si substitutus vocatus est per directam ad hereditatem.
- 8 **D**e altera ob reciprocã cum jure accretionis.
- 9 **E**t de altera ex Siatuo exclusivum præsumitur.
- 10 **D**e limitatione, ubi superest persona prædilecta.
- 11 **Q**uod hæc limitatio involvat successorem persona prædilectã jure suo.
- 12 **Q**uando dicatur persona prædilecta.
- 13 **U**t intret dicta limitatio, de qua n. 10. prædilecta debet succedere ultimo mortuo, & non alias, declaratur.
- 14 **F**acilius inducitur transmissio, quàm transmissio pendente conditione non transmissio.
- 15 **Q**uamvis regulariter fideicommissum non transmittitur, fallit ex conjecturis.
- 16 **Q**uales sint conjecture ad id sufficiens.
- 17 **I**n dispositione ascendenti sufficiens, magis leviore conjecture.
- 18 **D**e conjectura transmissionis, ubi alteri præter ab absurdam, quod minus dicitur præter.